



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.11. S. Lebwinus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

expiravit, anno circiter septingentesimo Sæcul. VIII.  
 septuagesimo sexto, vigesima quinta Au- A. C. 775.  
 gusti, qua die Ecclesia ipsius memoriam Mart. Rom.  
 colit. Successit in Regimine Ecclesiæ 25. Aug.  
 Frisonum Albericus, & Episcopus Ultra-  
 jectensis ordinatus est.

## §. XI.

*S. Lebwinus.*

Discipulis S. Gregorii Ultrajectensis  
 accensetur S. Lebwinus, seu potius  
 Liefuwinus Anglus, qui Sacerdos ordi-  
 natus, mari trajecto, Ultrajectum venit  
 ad S. Gregorium, operam suam ei offe-  
 rens; nam dicebat, se mandata Divini-  
 tus accepisse, ut iret, & Fidem prædica-  
 ret ad Iselam amnem, Francorum Saxo- vita ap. Sur.  
 numque terminum. Quia locus ille in- 12. Nov. vit.  
 tra Diœcesis Ultrajectensis limites posi- S. Ludgeri.  
 tus erat, S. Gregorius eum lubentissime tom. 5. Aff.  
 il- Ben. p. 22.  
 luc mittens, Marchelmum & ipsum An-  
 glum Discipulum suum socium addidit.  
 Aliquamdiu in Domo cujusdam viduæ  
 diversati, multis Infidelibus ad fidem  
 conversis, Sacellum in loco, qui Vilpa di-  
 cebatur, ad Iselam, qua Occidentem  
 spectat, extruxerunt. Crescente dein-  
 de Fidelium numero, alterum & majus  
 ædificarunt ultra eundem amnem, do-  
 mumque, in qua ipsi habitarent, in loco,  
 qui a Davon, S. Lebwini amico, nomen  
*Daventer* sortitus fuerat. Haud multo  
 autem post tempore Saxones indignati,  
 quod

Sæcul. VIII.  
A. C. 775. quod Christi fides propagaretur, pulsos, quos invenerunt, Christianis Ecclesiam domumque incenderunt. S. Leobwinus fuga se præripuit, at a Fidei prædicatione non abstinuit.

Cum sciret Saxones Conventum Gentis suæ universalem ad Visurgim celebraturos, eo se contulit, & divertit in domum viri in illa Gente nobilissimi, qui nihil intentatum reliquit, ut Virum Sanctum a proposito revocaret, quod summum vitæ periculum esset subiturus. Nihilominus S. Leobwinus Saxonum Concilium ingressus est vestibus Sacerdotalibus indutus Crucem & Evangelium manibus præferens. Cum vero Comitibus sua Saxones pro more a Deorum Sacrificiis auspiciati fuissent, inde captata occasione S. Leobwinus in medium procedens elata voce exhortari cœpit, ut Superstitionibus hisce abjectis verum Deum adorarent, *quod nisi feceritis, inquit, mala vobis inexpectata imminent. Potentissimus Rex, qui non procul a vobis imperat, sæpius a vobis ad iracundiam provocatus patriam vestram depopulabitur, uxores, liberos vestros captivos abstrahet, & vos ipsos suo Regno subjiciet.* Ad hæc verba Saxones undique confusis vocibus obstrepere & ex proximis sepibus fustes extrahere, quos acuebant, importunum Monitorem mille vulneribus con-

confossuri; cum vir, nomine Buto, cujus Sæcul. VIII.  
A. C. 775.  
in illa Gente maxima auctoritas erat,

conscenso colle dixit: *Aures mentemque advertite, qui ceteros sapientia superatis. Sæpe ad nos venerunt Legati finitimarum Nationum, Normannorum, Sclavorum, Frisonum, quos benigne suscepimus, mandata, quæ deferebant, audivimus, & donis devinctos dimisimus. Nunc vero Dei optimi maximi Legatus adest vobis salutaria promissa afferens, quem repellitis, & interficere vultis. Timete iram sanctissimi Numinis.* Hic sermo commotos animos composuit; namque Lebwinum incolumem dimittere statuerunt. Mala vero, quæ comminatus fuerat, brevi secuta sunt, illo enim anno id contigisse creditur, quo Carolus in Saxones primum seu anno septingentesimo septuagesimo secundo movens Idolum Irminful sol æquavit. S. Lebwinus hac victoria in rem suam usus illuc rediit, Ecclesiam a Saxonibus combustam reparavit, & Prædicationis munere defungi non destitit usque ad obitus sui diem nempe postridie Festi S. Martini duodecima Novembris, & ut credunt anno septingentesimo septuagesimo tertio. Elapso biennio Saxones iterum locum *Daventer* vastant, Ecclesiam concremant, corpusque S. Lebwini, ibi sepultum triduo labore investigant, nec tamen inveniunt. Rex vero

*Sup. S. 2.*

*vit. S. Lugd.  
tom. 5. Act.  
Ben. p. 23.*

Sæcul. VIII. vero Carolus hujus incurſionis pœnas ex-  
 A. C. 776. popoſcit, qui Saxones ad Viſurgim proelio  
 victos eodem anno 775. ſibi ſubjecit &  
 Ann. Pet. ingentem ſpoliorum vim egit.  
 Loifel. ann.  
 775.

## §. XII.

*Saxones convertuntur.*

Ann. Loif. Anno ſuperiore 774. Carolo in Italia  
 774. agente, Saxones, quos nullo ſancito  
 fœdere reliquerat, collecto numeroſo ex-  
 exercitu in Francorum Ditiones irruerant,  
 & uſque Fritislariam in Haſſia penetrave-  
 rant Eccleſiam a S. Bonifacio prope ar-  
 cem Bureburgenſem, quo Franci conſu-  
 gerant, flammis conſumpturi; at nec  
 intus nec foris efficere potuerunt, ut ſa-  
 cer hic locus ignem conciperet, & con-  
 ſternati in fugam ſe dederunt, nemine  
 perſequente. Ferunt etiam, utrinque  
 tam a paganis, quam a Chriſtianiſ, qui  
 in arce Bureburgenſi erant, viſos fuiſſe  
 duos juvenes candido veſtitu fulgentes  
 illam Eccleſiam defendere. Diffugienti-  
 bus aliis unus Saxonum prope fores tem-  
 pli inventus eſt mortuus, flexis genibus  
 nixus, lignum & ignem in manibus te-  
 nens & ſimilis cuiquam, ædes incendere  
 volenti.

Anno ſeptingentefimo ſeptuageſimo  
 ſexto Saxones violato anni præcedentis  
 fœdere bellum inſtaurant, iisque Ar-  
 cem Eresburgenſem oppugnantibus multi  
 tam